

et digitis fustum, cum bona facienda mente proponit, dataque opportunitate, opere, quod statuit, exequitur. Quid plura? Non timebit domus eius a frigidibus nivis: omnes enim domesticus eius vestiti sunt duplicibus (Prov. 31.): quia ex eius doctrina discipuli induti sunt duplici contemplationis, Dei, et proximi, quae omne frigus peccati longe fugat. Subiungit deinde (ibid): *Fortitudo, et decor indumentum eius, et videbit in die novissimo*. Ecce eisdem vestimentis, quibus dilectus suos sponsus, induit. De sponso ait David (Psal. 92): *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem*. De sponsa vero: *fortitudo, et decor indumentum eius: fortitudo, ad tolerandam persersorum improbitatem; decor, ut decora appareat sponso inter exercitia vitae contemplativae. Et ridebit in die novissimo: quia in retributione gloriae coelestis implebitur illud Christi Domini (Luc. 21): Beati, qui nunc flestis, quia ridebitis.*

Accedo iam ad viros, qui hanc vitam mistam ex actione, et contemplatione ad vivum expresserunt. In horum numerum primum refero Iacob: vel cum virgas illas populeas videres, et amygdalinas ex parte decorticat: vel cum in itinere scalam illam a terra usque ad coelum profectam considerat: vel cum durum uxorum Lae, et Rachelis amplexibus vacat. Nam si, ut exposuit sanctus pater Albanus, virgae illae in canalibus positae, ut a gregibus videntur, vitam activam, et contemplativam designant: quid est sanctum Iacob utraque virgas per ordinem ponere, nisi ministerium Evangelii utriusque vitae actionibus operam dare. Haec industria ditatus est homo ultra modum, et habuit greges multos, ancillas, et servos, camelos, et asinos. Scala illa mystica vitam spirituales significat, per quam a terra in coelum ascendimus: quid aliud erit, scalam, et angelos ascendentes, et descendentes aspicere, nisi propriae vitae contemplationes, quibus vir apostolicus Deo intendit, et actiones, quibus vivit, examinare? Unde d. Gregorius (in par. 2. prol. cap. 5): *Iacob, inquit, praedicatorum signal, qui non solum caput Ecclesiae, id est Christum, contemplando, appetunt, sed ad membra illius miserando descendunt: quod angeli ascendentes, descendentes demonstrant. Nec vacat mysterio, quod Iacob non in terra Canaan, sed in itinere, et post solis occasum scalae visionem conspexit: hoc enim significat, ut adnotavit Beda, unumquemque non videre visiones spirituales, nisi deserat peccata, et vitia: nec nisi post occasum gloriae mundialis coelestia mysteria conspiciere. Denique si illae duae mulieres, ut diximus, duas praedictas vitas figurant, quid erit, Iacob amplexus in uxores accipere, nisi virum, quem ille signat, actioni, et contemplationi vacare?*

Moses etiam egregiae huius vitae mistae typum gessit, ut his verbis luculenter ostendit divus Gregor. (in suo past. par. 2. cap. 5), dum ait: *Moses crebro tabernaculum intrat, et exit: et qui intus ad contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus arca considerat, foris onera carnalium portat.*

Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit: exemplum proculdubio rectoribus praebens, ut cum foris ambigunt, quid disponant, ad mentem, quasi ad tabernaculum redeant: et velut, coram testamenti arca Dominum consultant, si de his in quibus habitant, apud semetipsos iustus sacri eloqui paginas requirant. Sic enim hanc vitam profectus se gerere debent, ut Moyses: qui scilicet, nunc mentis tabernaculum ingrediantur, ut Dominum videant, nunc ad proximos egrediantur, ut eorum spirituali necessitati subveniant: prius contemplentur, ut postea, quae apud Dominum facienda, et dicenda cognoverint, ea in utilitatem fratrum, et faciant, et dicant. Antea Dominum consultant, et eius voluntate cognita, quod ipse praescripserit, actione perficiant. Haec ratione contemplatio erit praestantior, et actio tum fratribus nostris utilior, tum laboranti fructuosior. Istud sane faciebat Paulus, illustrissimum eorum, qui mistam vitam sequuntur, exemplar. Iam enim in tertium coelum rapitur, iam inde descendens, ad coniugatorum statum mentis oculos revocat, et qualiter in oculis conversari debeant, non sane sine divini spiritus illuminatione dispensat: Propter fornicationem, inquit (2. Cor. 12), unusquisque suam uxorem habeat, et unaqueque suum virum habeat. Uxor viri debitum reddit, similiter autem et licet viri. Ecce iam coelestibus secretis inseritur, ait Gregorius, tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perseratur: et quem subleवास usque ad invisibilia erigit, hunc miseratus, ad secreta infirmantium oculus cordis fecerit.

Accedit his vir insignis, quem Scriptura Salvatorem vocat, qui utraque manu pro dextera utebatur: talis enim esse debet, qui vitam mistam profectetur. Certe animarum liberator quem Deus volentarie genuit verbo veritatis, ut sit initium aliquod creaturae eius, ut scilicet populum suum, velut alter Aod a spiritualibus Moabitibus eripiat, in quibus daemones significantur, et in filiorum Dei libertatem afferat. Certe robustus, et fortis, qui intrepide pugnet, et adversus Domini hostes sine timore praefectur, et utraque manu pro dextera utatur. Manus dextera, ut mihi quidem videtur, oratio: manus sinistra, actio externa est. Ille igitur, sicut Aod, utraque manu utitur pro dextera, qui pariter, et ex instituto inter altissimam orationem, et utilissimam operationem, temporis spatia partitur, et fortassis gladii, quos Domini discipuli obtulerunt, dicentes: *Ecce duo gladii hic, et Dominus ad eos, esse satis, magna asseveratione pronunciat: quia in perfecto viro nihil aliud, nisi actio, et contemplationis perfectio requiritur, et hoc modo Abbas Theophylus apud Ioannem Eviratum hos duos gladios interpretatur, dicens: Duo gladii duas vitas significant, activam, et contemplativam. Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit. Qui ilaque ad perfectionem ascendere cupit, non uno tantum gladio pugnet, sed duobus, oratione scilicet, et actione, et sic dimicando vitia sua, et proximorum felicissima victoria prosternet.*

Nec minus clare, ut opinor, imago expressa

huius vitae mistae fuit Elcana, de quo sacra Scriptura ait (1. Reg. 1), quod habuit duas uxores, Annam, et Phoenemam, et quod habitabat in Ramathaimsophim de monte Ephraim. Quae omnia, si attente perpendamus, miram imaginis ad prototypum conformitatem deprehendimus. Nam in primis Elcana interpretatur possessio Dei: et magnus profecto est ille, cuius inter ingentes Creatoris opes ratio habetur, et qui in possessionibus regis ditissimi numeratur. Si enim non convenimus vocare possessionem regis aliquid parvum, et exiguum, ut denarium, aut obolum, sed aliquid magnum, atque pretiosum, ut urbem, aut provinciam, aut regnum; nunquam Scriptura sancta hunc virum in Dei possessionibus recenseret, si non aliquid nobile, pretiosum, et illustre denotaret. Hoc quid aliud significat, quam quod vitae mistae sectator ideo in magno pretio habetur apud Deum, ut illum, tanquam propriam possessionem, habere gloriatur? Quod autem Elcana duabus uxoribus Annae, et Phoenemae copularetur, perfectionem vitae mistae denotat, quae non contenta per contemplationem Deo vacare, actioni etiam in proximorum utilitatem pariter incumbit. Quod vero in Ramathaimsophim habitaret, et in monte Ephraim, id ipsum apertius denotat: nam, ut adnotavit Origenes (sup. 1. Reg. 1), Ramathaim altitudo, Sophim specula, quae altissimam speculationem vitae contemplativae praeseferant. Ephraim fructificatio interpretatur: quae vitam activam designat, in proximorum utilitatem uteretur fructus producentem.

Ad extremum, a veritatis scopo non aberrabo, si dixerero regem Davidem optimam omnium imaginem, ac perfectissimum exemplar vitae mistae exlitisse. Ille manibus fortis, sic enim Augustinus, et Gregorius eius nomen interpretantur, qui in manibus corporis ita laborabat, ut veniente leone, vel urso, persequeretur eos, erueretque praedam de ore eorum; et manibus mentis, quae affectiones sunt, ita Deum apprehendebat, ut ipsius Deus esset pars, atque beata possessio. Ille magnus contemplator, et fortis bellator: magnus quidem contemplator, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, regius Psaltes in Israel, qui vere ait (2. Reg. 23): *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam; robustus autem bellator: nam sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit uno impetu. Haec eadem praestat vita mista, quae iam proximos inuat, et a diaboli potestate eripit, dicens cum Iob (c. 21): *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferbam praedam. Iam ad Deum toto pectore anhelat, ita suspirans (Psal. 26): *Tibi dixit cor meum, exquirit te facies mea. Faciem tuam Domine requiram. Iam sedens in cathedra non sine imperio instruit scientia ignorantem, pusillanimes mansuetudine melleat, et protervos increpationibus, ac mitis exeret. Iam cum magna humilitate ad pedes prostrata Domini, tanquam egregie psaltrix, eius perfectiones commemorat, et amorem flagrans, misericordias, beneficiaque collaudat: plane ad omnia parata, quae Dominus***

eius opera, et ministerio praestare voluerit, sicut David, de quo haec inquit Bernardus: *Audi hominem quem secundum cor suum invenerat Deus. Paratum, inquit, cor meum Deus: paratum cor meum. Paratum ad adversa, paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad universa quaecumque praecerperit. Vis pastorem ovium facere? vis constituere regem populorum? paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis ut David fidelis, ingrediens, et pergens ad imperium regis? Illa mistam vitam amplectens paratus est, et in publicum prodire, et secum in spe, et in silentio commanere, animarum lucra sectari, et propriis profectibus inhaerere: vacare Deo, et ad tempus proximorum causa Deum propter Deum delinquere. Certe paratus ad omnia, quae Dominus per illum, et in illo disposuerit operari: cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA XXIV.

Figure variae sacrae Scripturae propuntur, quae communi sanctorum Patrum calculo activam, et contemplativam vitam adamussum expriment, in eadem verba: Marian optimam partem elegit, etc.

Quemadmodum inter omnia bona naturalia homini collata nullum excellentius merito putamus, quam creatum fuisse ad exemplar, et imaginem ipsius Dei (Genes. 2): *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram; ita inter supernaturalia dona nullum maioris momenti iudicandum est, quam quod humanas nostras actiones divinis, quoad fieri possit, conformemus. Caput quidem Deus optimus Maximus, cuius bonitatis immensum est pelagus, non solum naturam eius a bonis exprimi per eam, quam gerimus, eius imaginem; sed et in exemplar a nobis assumi, operibus nostris imitandum. Quod grandiloquus, et eloquentissimus Pontifex Leo versans locum illum Davidicum (Psal. 24): *Universae viae Domini misericordia, et veritas, his verbis sapienter edixit: Forma conversionis fidelium ab exemplo venit operum divinorum: et merito Deus imitationem sui ab eis exegit, quos ad imaginem, et similitudinem suam fecit, cuius utique dignitate non aliter poteratur, quam si nobis misericordia intenerat, et veritas. Per quae enim ad salvandos salvator advenit, per haec ad salvandum debent properare salvati; hactenus d. Leo. Certe, si ita fas sit loqui, neminem cerere est, dedulum magis vitae contemplativae, et activae, quam Deum, cum nec a comprehensiva sui cognitione, nec a generatione Filii per intellectum, nec a spiratione Spiritus sancti momento uno discedat: ecce vitam contemplativam: nec a conservatione creaturarum, et regimine illarum illatenus unquam cesset (Act. 17): *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus, ut ait Apo:***

stolos. Unde et Christus Dominus dixit (*Ioan. 5*): *Pater meus operatur, et ego usque modo operor*, ecce vitam activam, quae in externis operibus se exercet. Non tamen sufficit exercitibus activae, et contemplativae vitae vacare, nisi illa in bonum finem, et scopum dirigatur: nam licet opera utriusque huius vitae ex se bona sint, ex distorto tamen fine penitus infici, et foedari possunt, Christo Domino dicente (*Matth. 6*): *Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Super quae verba d. Gregorius (*lib. 28. mor. c. 6*) inquit: *Quid per oculum exprimitur, nisi opus sumum cordis intento, quae priusquam se in actionem exerceat, hoc iam quod appetit, contemplatur? et quid appellatione corporis designatur, nisi iniquaque actio, quae intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonae intentionis radium merita illustrantur actionis. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit, quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, et si splendor coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni iudicis obscuratur. Ut autem Deus ipse exemplo suo vitam activam, et contemplativam sectari monet, ita et docet finem, et scopum in illius exercitiis non alium nobis respiciendum, quam eundem, quam ipse in eisdem sibi praefigit. Hunc si nosse desideras, audi Salomonem dicentem (*Prover. 16*): *Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Cuius rationem reddidit d. Thomas (1. par. quaest. 44. art. 4)*, quod cum Deus actum sua, quae mundum universum condidit, nullam sibi perfectionem quaesierit, reliquum est, ut tantum voluerit sapientiam, bonitatem, et potentiam manifestare, suasque divitias in universas creaturas effundere. In omnibus ergo operibus divinis tam ad intra, quam ad extra, ut theologorum more loquar, non alium scopum respicit Deus, quam gloriam suam; cuius adeo zelotes, et custos est, ut cum aliquo in omnes liberalissime se diffundat, dicat nihilominus (*Isai. 48*): *Gloriam meam alteri non dabo*. Qui ergo vis activae, vel contemplativae vitae te totum tradere, adverte, ut cum horas psallis, ieiunas, comedis, vigilas, dormis, corpus componis, doces, verbum Dei seminas, vel quidpiam aliud praestas, mentis aciem in Deum convertas, gloriam, et honorem illius, tanquam scopum, et finem omnium tuarum actionum tibi ante oculos proponas; et quantumvis perfectus, et utilis consilium esset, singula opera hoc modo in Deum referre, ut minimum tamen initio diei id omnino praestandum est, cum regio vale dicendo (*Ps. 43*): *Dico ego opera mea regi*, ut his verbis beatus Laurentius Iustinianus (*lib. de disc. et perf. monast. c. 10 ad fin.*) prudenter consulat: *Omnes Christi servi, et cuncti Deo placere cupientes, primordia diei, et actionum conentur consecrare Altissimo, quantum cetera sequutura opera a suo non declinent principio. Unde mox ut a somno excitant, semper cor sursum erigere contendant. Prima vox, prima cogitatio, primus affectus divinum resonet laudem, ignitam ad Deum dirigat supplicationem, et illi se sine ulla corde committat, qui valet poterit de imminentibus periculis li-**

berare; haecenus beatus Laurentius Iustinianus. Doctrinam hanc docuit nos Christus Dominus verbo, et exemplo: verbo quidem, dum ait: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, atque in mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est*: exemplo autem, quia ego, inquit, non quaero gloriam meam, est qui quaerit, et iudicet. Ac tandem, si ut recte docuit Cassianus (*collat. 1*), *omnes artes disciplinas scopum, et finem proprium habere noscuntur, ad quem respiciens uniuscuiusque artis industrius appetitor, cunctos labores, et pericula, atque dispendia aequanimitate gratanterque sustentat*: quod argumentum, propositis exemplis agricolae, negotiatoris, et militis, quorum primus perceptionem copiosarum frugum, secundus divitiarum quaestum, tertius adeptionem honorum, ac dignitatum tanquam finem respicit, late, et eleganter prosequitur. Si, inquam, omnes disciplinae, ac artes oportet certum sibi praestituere finem, et scopum, ad quem dirigantur, non minus id opus habet disciplinae, et ars serviendi Deo: nam sicut, qui sagittam emittit, si in scopum aliquem illum non dirigat, operam ludit, et privatus manet sui laboris fractu; ita qui in vita activa, et contemplativa, vel ad nullum finem respiciens, vel, quod deterius esset, extortum, et indebitum finem sibi proponit, olem cerle, et operam perdat. Si vero Dei gloriam, et cum divina voluntate in omnibus conformationem, tanquam proprium scopum quaerat, inestimabiles spiritualium, et divinarum charismatum divitias sine dubio nascentur.

Hoc praefato fundamento, ad omnes nostras actiones, sive vitae activae, sive contemplativae munera respiciant, orationem convertamus, varias imagines, et figuras, quae utramque vitam perbelle adumbrant, proponentes.

Prima imago vitae activae ex duabus uxori- bus Iacob, filiabusque Laban, Lia, et Rachel desumitur. *Habebat vero*, inquit sacra historia (*Gen. 29*), *scilicet Laban, duas filias nomen maioris Lia, minor vero appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis. Rachel decora facie, et venusto aspectu. Istarum illa prior, quae laboriosam, vel fatigatam sonat vitam, in actione postam inuit: nam et labor in actione est; et qui curarum onere premitur, molestiis ac sollicitudinibus fatigatur. Haec vero, quae ovem, vel pascentem, vel visum principium significat, ut placuit beatissimis Cyrillano, et Gregorio, vitam praefert in contemplatione constitutam. Nam sicut ovis mansueti simplicitate gaudet, coelestis doctrina pascat, atque verbi divini consideratione perficitur, quod his verbis docuit Gregorius: *Has utrasque, scilicet vitas, sicut, et ante nos dictum est, duae beati Iacob mulieres significaverunt, Lia videlicet, et Rachel. Lia quippe interpretatur laboriosa: Rachel vero, ovis vel visum principium. Activa autem vita laboriosa est, quia desudat opere: contemplativa vero simplex ovis, ad solum videndum principium abhelat: videlicet ipsum, qui ait: *Ego sum principium, qui et loquor vobis*. Observandum tamen est, prius sancto patriarcae Liam minus gratam, ac mi-**

nus formosam in coniugem datam esse, quam Rachel pulchram, pro qua servierat, et quam semper concupierat, in uxorem acciperet, Laban socero non sine rationis praetextu se excusante: quia non est, inquit, in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias. Similiter vero christiano prius activa vita coniungitur, quam contemplativa diu desiderata coepuletur: prius ad fletum pro peccatis commissis, et ad mortificationem sui, deinde ad rerum divinarum contemplationem evehitur: prius in atrio poenitentiae debet expectare, postea vero regium palatium ingredi, ut conceptis, divino amore inflammatus, fratur amplexibus. Quod si quis a coeno peccatorum exurgens, continuo vult ad contemplativae vitae delicias admitti, necesse est, audiat: *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores filias ante tradamus ad nuptias, ut enim dixit divus Bernardus. (serm. 47. in Cant.)*: *Praeposterus ordo est, ante meritum exigere premium, et ante laborem sumere cibum, cum dicat apostolus: Qui non vult operari, nec manducet.*

Secundam figuram mihi subministrant duae Elcanae uxores. nomen uni erat, Anna, et nomen alteri, Phenenna. Elcana virum christianum animas Domino generantem, et verbum evangelicum administrantem significat. Hic satis stultus erit, si Annam non diligat, et soli Phenennae filios concipienti iungatur. Anna typos est vitae contemplativae, cum Anna, ut tradit Beda in expositione nominum Hebraeorum, *gratia, vel respondens, vel donans* interpretetur. Est enim proprium animae contemplativae gratiosa esse in oculis Dei, eo quod divinae vocatiōis, ac sanctis inspirationibus praesto respondeat, ac totam frequenter Creatori suo se donet: longe ab imperfectione illius aliena, quae vocata dicitur: *Ezraepolavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Phenenna vero, quae ut idem venerabilis doctor tradit, *conversam, seu conversionem* significat, vitam activam praecclare exprimit, cuius opus est, mentem a vitis, et peccatis avellere, et ad Deum per exercitium bonorum operum convertere. Proprietates quoque, et actiones utriusque huius uxoris hoc idem magis adstrunt, nam fuerunt Phenennae filii, Annae autem non erant liberi, ut legitur (1. Reg. 1). Sic contemplativa vita ab hominum consortio se sequetrans, et soli Deo inhaerens, sterilis putatur; activa vero, dum in proximorum utilitatem laborat, foecundior indicatur. Dixi consuetulo, *sterilis putatur*, quia reipsa vita contemplativa sterilis est, et infocunda non est, ut multi coeci dicant, nec enim sola vita activa spiritualium general sobolem filiorum; immo persaepe cum vita activa in conspectu hominum appareat, ad bonam frugem peccatorum convertere, revera tamen contemplativa est, quae hos filios parit, quia eorum generatio non tam dependet a verbis activae, quam a gemitibus contemplativae. Unde Paulus (*Colos. 4*) admonet illos: *Orationi instati, vigilantibus in ea in gratiarum actione, orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ositum sermo-*

*nis ad loquendum mysterium Christi. Unde non dubito, quin multis verbi divini praecōnibus vitae contemplativae oblitus, et activae dumtaxat vacantiū, illud in die Iudicii eveniet, quod perdidit accidit, de qua divus Ambrosius (*lib. 6. in exam. c. 3*) haec scribit: *Perdidit astutum, quae aliena ora diripiunt, hoc est, perdidit alterius, et corpore foecit suo, fraudis tamen sua fructum habere non posse, quia cum eduxerit pullos suos, emittit eos, quia ubi rocem eius audierint, quae non generavit, relicta ea, ad illam se naturali quodam munere, et amore conferunt, quam veram sibi matrem ovium generatione cognoverint: significantes, hanc nutricis fungi officio, illam parentis. Sic fraudis suae pretio mulcatur. Unde Ieremias ait: *clamaui perdidit, et congregavi, quae non peperit, id est, oia congregavi, et clamaui quasi ovas suae fraudis affectu: sed ludiit operam, quia impensum labore, alii educat quos ipsa daturum foetu sedulitatis animaverit. Hoc, inquam, nimis activi experiantur, qui non charitate succens, sed iactantia inflati spiritualibus animarum ministeriis vacant, et Dei verbum seminant, atque in magna populorum frequentia concionantur: modo sibi spirituales filios attribunt, et tanquam proprios foetus adsciunt, non contradicentibus veris parentibus, qui scilicet multum flevissent, multum oraverunt, multum pro animarum salute ad Dominum clamaverunt. Sed venit tempus, cum Deus veritatem patefaciat, quando nimirum animae a peccatis ereptae despectum licum charitate ferventem, qui multum oravit, et non superbum, ac ambitiosum praedicatorum, qui multum vociferatus est, patrem agnoscent. Tunc idiotae animae admirans, et stupens, non sine exultatione illud Isaiae (*cap. 49*) dicit in corde suo: *Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens, transmigrata, et captiva: et istos quis enutrit? ego destituta, et sola: et isti ubi hie erant? et accipiet divinum responsum: Quia orationes tuae, et lacrymae tuae, quas pro animarum conversione fundebas, te istorum matrem fecerunt, quos literatos, arrogans, nec Dominum rogans, et solo verbo, et ostentatione laborans, sibi in filios arrogaverat. Non itaque vita contemplativa sterilis est, sed potius spiritualis foecunditatis origo, quam oportet, ut veram matrem animarum suscipere, atque infocundam aspernari.****

Illud tamen hoc loco dicere non parcam, perperam quosdam in ipso spiritualis vitae tyrocinio cupere statim matres fieri, et filios procreare. Ad hoc fructificandi extra tempus desiderium iaculum daemoneis est, ut homo proximus nihil proficiens, sibi plurimum oblit. Unde beatus Laurentius Iustinianus (*lib. de disc. et perf. mon. cap. 12*) dicit: *Hortatur etiam daemones ad praedicationes, ad saecularium conversionem, et ad virorum, mulierumque indistinctam colloquutionem, illud Apostoli commemorans: Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam; non advertentes, quod in his latent fraudes, et inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur, qui carent prudentia, et elatum habent supercilium. O quot, qui iam inter astra*

vidos suos collocasse credebantur. occasione fraternalis charitatis in lutum carnis concupiscentiae turpiter currerunt; hactenus ille. Oportet quidem tyrones indiscreti zelo alios docendi, et instruendi aestuantes Salomonis sententiae meminisse (Ecl. 3): *Omnia tempus habent. Nunc in principio conversionis tempus est nascendi, et ad divinum amorem perveniendi; et postea erit tempus moriendi pro fratribus, ita ut cum Paulo (1. Cor. 15) possis dicere: Quotidie morior per vestram gloriam fratres. Nunc tempus est plantandi, et in te ipsa virtutes insequendi: postea erit tempus evellendi de cordibus aliorum quod perperam a veterano hoste plantatum est. Nunc tempus occidendi, ut scilicet inordinatum tui amorem extinguas, et in matutinio interficias omnes peccatores terrae: et deinde erit tempus sanandi, cum apta eris aliorum vulneribus mederi, et verbo doctrinae infirmis mentibus curationem afferre. Nunc tempus destruendi quae male in saeculo aedificaveras: et postmodum erit tempus aedificandi, cum opes aggregaveris, quibus valeas virtutum arcem in aliis extruere. Nunc tempus fletu propria delicta: et postmodum erit tempus ridendi, atque gaudendi de impiorum a te facta conversione, quia de praedicatoribus scriptum (Psal. 12): *Euntes ibant, et fiebant, mittentes semina sua. Vententes autem venient cum caeculatione, portantes manipulos suos. Nunc tempus plangendi propter propria mala: et deinde erit tempus saltandi ex devotionis affectu propter fratrum bona. Nunc tempus colligendi lapides, et parandi arma necessaria ad praedium: ac impostrarum erit tempus disperdendi eos, et in inferendis in fronte Philistaei. Nunc tempus amplectendi sponsum, qui pascitur inter lilia: ac deinceps erit tempus longe fieri ab amplexibus, cum charitatis donec perfecta dicas cum Paulo (Rom. 9): *Oportet ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis. Nunc tempus accipiendi dona, quae postea distribuas: et deinde erit tempus percipiendi te ipsum, hoc est laborandi, et te affligendi; ut lucrum animarum requiras. Nunc tempus custodiendi arcem mentis tuae: et postea erit tempus abiiciendi curam tui, ut a laborum quoque curam admittas. Nunc tempus sciendi cor tuum, et peccatorum dolore noledii; et deinde erit tempus consuetudinis, hoc est in bonum proximorum conficiendi sermonem ex sententiis Scripturarum. Nunc tempus tacendi, et postea tempus loquendi, quia, ut inquit Hugo, *prius per silentium tempore tacendi dicitur, quod postea per verbum tempore loquendi preferatur. Denique nunc tempus dilectionis Dei, et tempus belli adversus ea, quae huic dilectioni obsistunt; et in postremum erit tempus excedendi odii adversus ea, quae tuus dilectus odit, et tempus inter occupationes quietis, et pacis.****

Tertiam iam figuram appono duarum filiarum Saul, quas ex Achinoam uxore suscepit; et nomina, inquit Scriptura, *duarum filiarum eius, scilicet Saul, nomen primogenitae Merob, et nomen minoris Michol. Has duas sorores, vitam activam, et contemplativam expressisse, magnus Gregorius (lib. 5. in lib. 1. Reg. ad e. 14.*

longe a fine) his verbis explicuit: *Si quia autem velit, per primogenitam filiam, contemplativam vitam, per minorem, activam, potest accipere: et tunc quidem Merob de multitudine dicitur, quia multitudinis turbas deserit, et ad variorem numerum hominum in contemplatione perfectorum venit. Non ergo multitudo, sed de multitudine esse dicitur, ut non hi, cum quibus est, sed unde venerat, agnoscat. Michol vero ex omnibus, dicitur, ut in activa vita universalis vita sanctae Ecclesiae designetur. Illa ergo de multitudine, ista vero de omnibus dici potest, quia activa vita omnes continet; contemplativa omnium conspectum declinat, ut se conspectu mentis coelestibus iungat. Sed parumper has imagines inspiciamus, et statim ex eis, vitae activae, et contemplativae proprietates eliciemus. Isae foeminae sorores sunt, filiae regis sunt, quas Achinoam uxor sibi genuit. Maior, scilicet, Merob, quae ut dixi de multitudine exponitur: et minor, nempe, Michol, ut ait Beda, a qua omnis interpretatur: illa Davidi promissa est, sed nunquam data; haec primum quidem promittitur, deinde conceditur. Michol Davidem exoptat, eum ante initum coniugium amat, et post coniugium celebratum in amore perseverat. David vero huic sponsae suae amori gratas existens, eam non gratis accipit, non centum praepulsi incircumcisorum comparat, quae sibi fuerant a socero postulata; sed praeflum auget, et adiungit eam sibi ducentis praepulsi Philistinorum. Et percussit eam Philistinum, inquit sacer textus, ducentes viros, et altitit coram praepulsi, et annoveravit ea regi, ut esset gener eius. Ut saeculi tamen huius instabilitatem videamus, haec tandem est, quae Davidem sibi dilectum irridet, atque subsannat, dicens illi (2. Reg. 6): *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel discipulans se ante ancillas servorum suarum, et nudatus est, quasi nudetur unus de scurris.**

Narravimus hucusque historiam, adiamus nunc mysterium. Duae vitae, activa, et contemplativa, quas praedictae foeminae filiae Saulis representant, sorores sunt, quia ab eisdem parentibus genitae, quia moribus similes, quia operibus, et voluntate concordēs: unum patrem, et unam matrem agnoscunt, quia a Deo inspiratae, et a bona voluntate spiritu gratiae foecundata generantur. Similes sunt, quoniam idem habent principium, scilicet divinum praesidium: in eandem tendunt finem, nam in vitam aeternam diriguntur. Idem quodammodo opus exercent, quia altera operando, altera contemplando, non aliud, quam Deo placere, et obsequi student. Magna pollet operum, voluntatumque concordia, quoniam mutuo se iuvant. Contemplativa activam dirigit, et activa contemplativam accendit. Ista vitam humanam conservat, illa vitae spiritualis meritum, atque fervorem: nam sine bonis operibus humana vita in ferinam, et bestialem vertitur: et sine contemplatione futurorum spiritualis vita in mundanam, et carnalem commutat. Illa facit, si decepta non est, ut activi contemplativos honoret: ista efficit, si non sit delusa, ut contemplativi activos suscipiant. Quarum igitur idem est pater, eadem est mater: quarum tanta

est similitudo, tanta conspiratio, atque consensus, non dabium, quin merito sorores vocentur. Filiae quoque regis sunt, sive quia Deum Regem regum patrem appellant, sive quia callores suos in hac vita super cordis affectus regnare faciunt, et in futura regalibus sertis coronant: sive quia regios, et plane coelestes filios parturunt. Nam illa, ut inquit Gregorius, *parit multitudinem bonorum operum, ista vero interiorum pulchritudinem gaudiorum. Contemplativa in Merob maiore, activa in Michol minore sorore signatur. Merob enim de multitudine dicitur, et vita contemplativa de multitudine ac turba hominum extracta est, quia ut Deo vacet, turbas populorum declinat: et Michol omnis exponitur, eo quod activa vita Deo placere cupiens, omnium bonarum actionum labores, et curas exoptat. Contemplativa vita maior est, non solum aetate, sed etiam praesentia, et dignitate. Maior quidem est aetate, quoniam prius coepit, et cor humanum suis operationibus occupavit: primus enim parens in humanae conditionis exordio ante praecipit transgressionem, Deum contemplatus est, et consideratione divinorum mysteriorum extasim passus. Post transgressum vero praecipit laborare coepit, atque in poenam commissi delicti hanc vocem audivit (Gen. 3): *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Est etiam dignitate praestantior, quoniam et Deo propinquior est, et nobilioribus insistit actionibus. Optime enim Hieronymus (in Thren. cap. 3), in illud, bonum est vero etc. Sed tamen, inquit, quantum superexcellat serenitas tranquillae vitae turbulentiam saecularis conversationis, novit, qui hanc expertus est; et dominicum iudicium in Evangelio inter duas mulieres certum, ad Martham dicens: *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. Et David solum hoc necessarium homini esse definiens, Deo inquit adhaerere desiderat, dicens: *Mihi autem adhaerere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam. Una ergo, et sola est theoria, id est, contemplatio Dei, cui merito omnia iustificationum merita, universa virtutum studia postponuntur. Activa etenim vita cum corpore deficit, contemplativa autem vita hic incipitur, ut in coelesti patria perficiatur, quia amoris ignis qui hic ardere inchoat, cum ipsam, quem amat, viderit, in amore eius amplius ignescit. Iure itaque optimo contemplativa vita in Merob filia Saul maiore signatur, quae omnibus modis maior est, sive tempus consideres, sive opus animadvertas, sive tranquillitatem, et sanctitatemque respicias. Merob deinde maior promissa est, et non data; Michol vero minor, et oblata, et a Davide in uxorem accepta: quod d. Gregorius in hunc modum explicat (lib. 5. in 1. Reg. cap. 14): *Quam profecto, id est Merob, in coniugium pater David dare promisit, sed ei minorem dedit, quia nonnulli contemplativae vitae pulchritudinem diligunt, ad cuius amplexus accedere nequaquam permittuntur. Quia enim regendis fidelibus gregibus fores necessarii sunt, sic summus rex ordinat, ut Michol minorem accipiant, et Merob maiorem nunquam comprehendant; haec di-*****

vis Gregorius: quibus persimilia sunt alia divi Bernardi (serm. 41. in Cant.): *Vide quomodo illa, scilicet sponsa, aliud cupit, et aliud accipit, et nitenti in contemplationis quietem labor praedicationis imponitur; et sitienti sponsi praesentiam, florum sponsi paridorum, a lendorumque sollicitudine inungitur. Quod autem Michol Davidem obiurgat ante arcam, praetigurat illos qui videntes quempiam in via Dei prospere currere, variis murmurationibus sibi illum impetant, ut rationi consonum ducat se subducere, ac uxorem ad tempus deserere, et a bonis operibus consuetis cessare, illud Davidicum eloquium sibi usurpans (Psal. 38): *Possui ori meo custodiam, cum consideret peccator adersum me. Ohmutat, et humilitas sum, et sicut a bonis: et dolor meus renovatus est.**

Ad extremum, quamquam imaginem, vitam activam, et contemplativam ante oculos nobis proponentem hodiernum profert Evangelium, cum commemorat, Martham, et Mariam sorores esse, pro quas constans est omnium Patrum sententia, illa duo vitae genera admodum repraesentari. Praesertim tamen id docet divus Augustinus, dum (serm. 27. de verb. Dom. cap. tert.) ait: *Remanserunt in illa domo, quae suscepit Dominum, in duabus foeminis duae vitae, ambae innocentes, ambae laudabiles: una laboriosa, altera otiosa, nulla facinorosa, nulla desidiosa, ambae innocentes. Ambae, inquam, laudabiles, sed una laboriosa, altera otiosa, nulla facinorosa, quam cavere debet laboriosa: nulla desidiosa, quam cavere debet otiosa: nec non et Bernardus inter alia: *Intrante, ait, et Iesus in hoc castellum, duae sorores Martha, et Maria, id est operatio, et intellectus, excipiunt solum. Excipiunt dixerim, an excipiuntur? Sed sicut hoc, sicut illud dicitur, utrumque prodest illis, non Iesu. Et Iesus quidem cum ad illas venit, duo confert eis congruentia singulis, virtutem, et sapientiam: virtutem operationi, sapientiam intellectui. Unde etiam ab Apostolo praedicatori Dei virtus, et Dei sapientia. Sed quid est, quod intrantem eum Martha excipit, discurret, ministrat; Maria vero secus pedes sedens ingressi, in eius verbum cor suum suspendit; nisi quod prius actio, postea vero contemplatio subsequitur? Martha igitur vivit ut vitae activae, Maria inquam vitae contemplativae. Illa discurret, laborat, ministrat, et ad summum stat: ista sedet, et secus pedes Domini, omnium terrenorum oblata, requiescit, quia activa vita, veluti in transitum, summum contemplationis suscipit, quoad operando amissas vires recuperat. Contemplativa vero ex professo contemplationi divinorum vacat, etiamque tantquam finem, et scopum suae exertationis assumit. Utrumque Gregorius (5. in 1. Regum) pulchre verbis, quae subiciam expressit, de activa enim vita sic ait: *E contra autem activa vita, quae frequens circa ministerium satagit, rara est in secreto contemplationis, nam quae aeterna sibi praeparare, non sedendo, et audiendo, sed satagendo, et ministrando proposuit, non damnus, sed stipendium putat, si sibi vacans, et sua plens, et non quae aliorum, a solita obsequiorum oblatione requiescat. Plus igitur operando laborat, minus observat. Unde et Martha,***

quae circa frequens ministerium satagebat, stetit, et locuta est. Quae enim stetit, ei nimirum sedere non licuit, quia si ad audiendum sederet, imperatum fortasse ministerium, et insufficientes impendisset. Et notandum, quia transeundo Dominum Martha vidit, non tamen transeundo, sed stando loquitur. Nam Evangelista caute expressit dicens: quae stetit, et ait. Quo profecto exemplum instruitur, ut qui fratribus ministeria exhibemus, si per moram sedere ad redemptionis pedes non possumus, per quantum morulam Redemptori assistere debeamus. Sed bene et assistimus, si transeundo, et serviendo videamus. Quid est autem transeundo Dominum cernere, nisi in omni nostro bono opere ad ipsum cordis dirigere intentionem? Transimus enim, quando hic illic discurrendo in membris suis Domino ministerium. Sed transeundo Dominum cernimus, si per omne, quod agimus, praesentem nobis ipsum, cui placere cupimus, contemplamur. De contemplativo vero idem praemisera: In transitu ergo operationem habent, quia, etsi aliquando operantur, quasi currendo, hoc deserunt, qui ad locum dilectae solitudinis magno spiritus impetu impelluntur. Nam quia totis desideris in aeternorum amore requiescunt, videre magis, quam ministrare appetunt. Hinc ergo sunt in publico operis, assidui in secreto contemplationis: foris parum, satis intus timerantur. Nam et fornicationem esse solent iudicare vel ad momentum a Christi contemplatione discedere. Merito ergo activa vita stans tanquam parata ad laborandum, et contemplativa sedens, tanquam vocata ad quiescendum introducit, quoniam illius finis est, bonis operibus, atque fructuosis actionibus inhaerere; istius vero Creatori suo infindere, et sponso infelligentia, et amore copulari: Bene Martha stetit, inquit Beda (in cap. 10. Luc.), et Maria secus pedes Domini sedisse describitur, quia vita activa laboriose desudat in certamine, contemplativa vero pacatis vitiorum tumultibus opata iam in Christo mentis quiete perfruatur.

Vide iam, quam apte istae sanctae sorores duplicis huius vitae referant ministeria, et omnimodam perfectionem repraesentent. Martha enim satagit circa frequens ministerium, hoc est, mundat domum, in qua Christus excipienda est: ornat cubiculum, in quo commoretur: parat escas, quibus libenter vescatur: sternit lectum, in quo dormiat, et fatigata membra acquiescant; ac tandem propter amorem Domini discipulos etiam excipit, et benignis fovet obsequiis. Ita activa vita contritione purgat animam a peccatis, quam Christus inhabitat: exornat virtutibus cubile mentis, ut digna ipsius habitatio fiat: cibum compuncti cordis, atque humanitatis subministrat: spinas pravorum affectuum evellit, et in lectulo spiritus bonorum desideriorum flores spargit. Legebat enim, quia lectulus sponsi floridus, et propter eum virtutum moralium contemplatione, sen actionibus occupata proximis obsecundat. At Maria sedens secus pedes Domini audit verbum illius: non sollicita discurret, sed sedendo requiescit, omnis externae occupationis oblita, in rerum divinarum meditatione mentem figit, milleque sacrificia, immo et holo-

causta ad pedes Christi illi offert, ut his verbis eleganter dixit sanctus Cyprianus (lib. de cardin. oper. Christ. tract. de ablutione. ped.), in haec verba: *Mactata intrinsecus anima, proprium in sancta sanguinem intulit, signa sua praebere ministerium, cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit. Haec multa in conspectu tuo congerens holocausta de fonte cordis stetus hausit, quos protulit de poenitentiae pyxide, unguenta, quae obtulit, caputque pro suppedaneo stravit: crinibus circumfusis, pedes sacros inoleit, et tersit: nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit; et tu affectum proprius, quam factum attendens, ungebis ungentem, abluas lavantem, tergebis intrinsecus poenitentem.* Observandam autem est, Martham, et Mariam non solum ministeria vitae activae, et contemplativae nos docuisse, sed et modum quo cum magna perfectione illa exerceantur. Phenemina quidem insultat Annae, et quasi infocundam, sterilitemque contemnit; Lia etsi non spernit Rachelem, tamen nullam rationem habet. At Martha tantum abest, ut Mariam sororem contemnat, aut suam opus pro nihilo ducat, quod potius eius invamem impense cupiat, et non sine querimonia a Domino exproscat: *Domine, inquit (Luc. 20), non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adiuvet.* Quae autem maior perfectio activae vitae potest excoGITARI, quam quod exiguitatem propriam agnoscentes, orationem suscipiat, et ad propria onera sustinenda contemplationis adiutorium exquirat? Anna plorat, et aegre fert a socia contemni, Rachel invidet sorori suae, et filios habere concupiscit. Maria tacet, et nec querelis respondet, nec aliud optat, quam verba Domini aure mentis excipere, eius conspectu frui, et amore laetari, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

De natura, scopo, et operibus vitae mistae disseritur, eamque perfectiorem esse vitam activam, et contemplativam, a pertissime commonstratur, in eadem verba: Maria optimam partem elegit.

Si ea, quae in superioribus de vita activa, et contemplativa protulimus, attente perpendantur, haud difficile erit, naturam vitae mistae, seu propriam eius rationem arguere. Cum enim haec vita ex utraque illa coalescat, necesse est, nihil aliud esse vitam mistam, quam continuum contemplationis, et actionis studium, ita ut actio contemplatione fulcitur, et contemplatio actione interrupta ferventior existat. Hanc vitae mistae definitionem mirum in modum illustrat vetus illud sacrificium vaccae rufae (Num. 19), in quo Dominus cedrum, hysopum, et cocum bis tinctum offerri, et comburi praecipit; ut hoc mutuum adiumentum,

quod sibi praestant actio, et contemplatio, figuratum videamus. Etenim vacca rufa carmen nostram significat illecebris, et peccatis extinctam, ac Domino per vitam religiosam consecratam. Caius oblationi cedri adiungitur arbor alta, atque procerca, cum perseverantiam in virtute tenemus. Hysopus herbulam modica adicitur, cum humilitatem, et nostrae fragilitatis diffidentiam amplectimur; et cocus bis tinctus immittitur, cum in nostrae charitatis affectibus contemplationis ardorem, et actionis fervorem non deserimus. Sed ita haec duo attemperamus, ut contemplatio actionem dirigat, et actio, velut aqua fornaci aspersa, contemplationem accendat: etenim actio, et contemplatio se habent instar corporis, et animae: nam sicut anima, et corpus ita sunt temperata, ut anima corpus vegetet, moveat, augeat, sanum, incolumem, robustum, et pulchrum reddat; et corpus opem fert animae, ut sentiat, appetat, et nullas sibi iucundas operationes eliciat; ita labor quietem, perficit ne nimis protrahat molesta sit, et salutem a moderata exercitatione pendente emerget, et minuat. Quis vero laborem roborat, ne immoderatus existens, vires naturales conficiat, et nullo otio interruptus, lassitudinis, atque languori succumbat. Atque ex hoc non obscure liquet, finem, et scopum vitae mistae nullum alium esse, quam consequi perfectam contemplationis gratiam, et absolutam actionis donum, ita ut neque contemplationis amore zelum animarum deserat, nec zelo iuvandi animas in ardore contemplationis impescat. Hunc finem magnus Gregorius (l. 5. in lib. 1. Reg. ad c. 14) egregie explicat, verba Isaiae sibi usurpans, et haec scribens: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbae ad fenestras suas? Volant quippe, ut nubes, quia a graedine culpa sunt leves, et gratia Spiritus sancti in bono opere veloces. Quasi columbae vero sunt ad fenestras, quia ad exemplum per bona opera se nobis quasi per foramina porrigunt. Sed de ostensa vitae munditia, laudis appetitu nequaquam capiuntur. Volare igitur in coelestia per contemplationem, et dimitti ad inferiora per varia opera in proximorum utilitate impensa, hic est finis, et scopus vitae nostrae. Hinc nemo est, qui non videat, vitam mistam complecti exercitia vitae activae, et contemplativae, ut in eo, quod contigit primo nostro parenti Adamo aperte monstratum est. Etenim Dominus in paradiso voluptatis illum constituit, non ut in illo quiesceret, et desidiosus maneret; sed ut operaretur, et custodiret illum; et dum dedit non contemplandi, sed abstinendi mandatum; postea vero homini iam mandato laborandi disposito, et legi, non comedendi praeparato soporem, hoc est, ut Hieronymus, et Præpicius, et Rupertus volum, easlasim contemplationis immisit. Ac tandem ex latere dormientis, aut contemplantis costam eduxit, ex qua Evam uxorem, consortemque vitae formavit. Nam quod in hoc homine universorum parentis historice factum est, mystice in iustis animarum parentibus spiritualiter perficitur. Primo, malis abstinente, nec cibum velitum gustant: deinde dormiant, et in rerum coelestium*

consideratione quiescant: laudem generent et filios spirituales contrant. Qui necdum laborant, non potest pacate, suaviterque dormire: et qui necdum affectus inordinatos cohibuit, neque se actibus virtutum exercuit, pure, et tranquille contemplari non valet. Unde beatus Laurentius (in ligno vitae, tract. de orat. c. 3) ait: *Quicumque ad arcem orationis, et contemplationis pulchritudinem attingere desiderant, prius semetipsos in campo per exercitium operis probent, quam ad quietem transeant; quatenus scient, an illata convicia a proximis aequanimiter portant: an oblati temporalibus bonis, mens laetitia soleitur: an sublati, vehementi dolore sauciantur: an cum ad se introrsus redierint, in eo, quod spiritualia rimantur, secum umbras transeuntium rerum serunt, vel fortasse tractas a mente, manu discretionis abigunt. Quisquis haec patitur, et in activae operibus non est purgatus, neque ad sanctae orationis opus idoneus, ut compendiose tradidit divus Paulus (1. Timoth. 4), dum ei scripsit: *Attende tibi, et doctrinae: tibi per vitam contemplativam in propriam tuam utilitatem; doctrinae, per vitam activam, ut aliis prosis. Multa in sacris Scripturis mihi ob oculos proponunt utraque haec vitae mistae exercitia. Etenim in primis, sicut fortissimus ille Iudas Machabaeus in bello strenuus, in pace providus, qui stante bello, fortiter se gessit; bello autem cessante, loca polluta mundavit, sancta renovavit, diruta aedificavit: Ezechiel (1. Mach. 4), contrivit sunt inimici nostri; ascendamus nunc montes sancta, et renovare. Sic prorsus qui hostes Christi est prostraturus, oblata opportunitate, miserum peccatorem sanctis ministeriis iuvat, daemonum tentacula delegat, adversus cameos vitorum oblatret; cessante vero occasione pugnandi, semelipsam lacrymis purget, sancta desideria reficiat, et quae ex mundanorum conversatione corruerant, orando, et genendo restaurat. Iosue etiam, cum Deus in locum Moysis principem, et ducem suam plebi praefecit, exercitia huius vitae mistae voluit illum profinus amplecti: actionem enim ei commendavit, dum dixit (Iosue 1): *Confortare, et esto robustus: tu enim sorte dividis populo huic terram, pro qua iuravi Patribus suis, ut traderem eam illis.* Contemplationem vero, cum postea paucis subiungit: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, et facias omnia, quae scripta sunt in eo.***

Sed ad magnum Ioannem Baptistam me convertito, qui tanquam vitae mistae fulgentissimum speculum, et perfectissimum magister, propria illius officia exempli nos docuit. Etenim Christus Dominus vocavit illum, Accensam, et lucentem lucernam, dicens (Ioan. 5): *Ille erat lucerna ardens, et lucens.* Ut autem dixit divus Gregorius (hom. 11. in Ezech.), ardor caelestia desideria, et lumen verbum praedicationis designat; et utrumque contemplationis, et actionis absolutum quandam, et perfectionem demonstrat. Ille enim in secreto orationis coelestibus desideris, et igne verissimae dilectionis ardet, qui non commune aliquid orandi donum, sed magnam, et

consummatam contemplantiam gratiam accepit. Et ille in publico actione lucet, qui bona, non auctumque, sed optime praestare novit; et imperfectionum foeditate splendore verbi non obscurat, et opera proximis utilia pravis exemplis non inficit. Cum ergo vocatur Ioannes: *lucerna ardens, et lucens*, perfectus praedicator vocatur, qui finem vitae praedicatoris fuit assecutus, qui prius contemplantio Deum, et seipsum maceratione carnis affligendo in deserto arsit, et postea ex amore Dei, et zelo animarum cum magno spiritu praedicando in mediis populis, caligine iniquitatum excaecatos illuminavit. Arsil quidem ille, quia sanctissime in omnibus se gessit, quia purissime vixit, quia vitam plane coelestem in terris instituit. Arsil ille, quia tota eius vita nobis loquitur, tota nobis sermo est, tota nos a malo revocat, et ad bonum exhortatur.

Ad extremum, si cupis vitae huius exercitia perfecte exequi, imitandum tibi propono angelum tuum custodem, quem accepisti ab ortu tuo, vitae duce; imbecillitatis defensorem, ac virtutis magistrum. Angelus namque perfectissime Deo ministrat, et diligentissime tuam salutem curat, et ad omne bonum instantissime provocat, ille enim, et omnes alii coelestes spiritus (ad Hebr. 1), sunt *administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis*. Sed simul suam tranquillitatem conservat, et spirituales oculos in universorum conditorem intendit (Math. 18): *Et semper videt faciem Patris, qui in coelis est*. Itaque neque administratione lucem obnubilat, quia Deus est sine ulla intermissione videndus; nec visio Dei administrationis curam laxat, quia pusilli erudiendi, et custodiendi sunt. Sic et tu ab isto indidendo comite, et mansuetissimo protectore disciplinam perfectionis edisce: proximus iuva, spiritualibus periculis eripe, vitam coelestis patriae demonstra. Nec enim parum est tibi angelorum ministerium obire: sed ita ut mentis quietem non perdas, lumen internum, quoad fieri possit, non fuses, quo, et in ipsa actione, Deum quasi abscondite, et dissimulanter aspicias, et horis orationi destinatis sine ulla distractione vaces. Deum mentis oculis contemplant, insuper et brachiis dilectionis tenere valeas. Similiter attende tibi, et magna sollicitudine salutis tuae mentis invigila. Esto silentii, cellae, et contemplantionis zelator, sed ita ut opportuno tempore in publicum prodeas, ministeris animarum vaces, et eas doctrinae pane sustentens. Illud tamen in his exercitiis vitae mistae admonendum te censui, ne impensus, et maiore conatu actioni intendas, quam contemplantioni; sed potius et contra, nisi necessitas proximi graviter urgeat. Haec doctrinam duorum florum patriarchae Iosephi historia dilucide edocet. Cum enim duos filios generasset, quorum maior natu vocabatur *Manasses*, secundus *Ephraim*; et eos coram Patre Iacob benedicendo collocasset, ille extendens manum dexteram, posuit super caput *Manasses*, qui maior natu erat, commutans manus. Quisnam est iste Ioseph, qui Domini sui uxorem tangere recusavit, qui e carcere eductus, anulum regium accepit, et stolam byssinam in-

duit, et collo torquem aureum circumposuit, qui tanquam fidelis dispensator populis alimenta distribuit, nisi huius praesentissimae vitae cultor, qui et proximorum salutem, et aeternam regis, a quo tantam accepit dignitatem, quaerit obsequium? Iste namque est, qui sponsam, Creatoris sui gloriam scilicet et honorem, illi parum, illibatamque conservat, sciens, scriptum esse: *Gloriam meam alteri non dabo*. Iste stola puritatis praecinctus, et torque charitatis ornatus, anulo potestatis sibi datae liberationem peccatorum contritorum obsignat, ut in coelis rata, et immobilis habeatur. Iste in proximis confert alimenta doctrinae, ne aut fame pereant, aut salutis, tentationumque imbecillitate succumbant. Qui autem sunt duo filii huius spiritualis Patriarchae, nisi utilis actionis labor, et fervidae contemplantionis studium? Illum *Manasses* aetate maior, istud *Ephraim* minor natu designat. Nam *Manasses obtinens* significat, et bonorum operum labor interdum reprimendus est, et utili quadam prudentia obliviscendus, ne in profectum aliorum penitus effusus, nostrae mentis fervor interpeccat. *Ephraim vero frugiferum, sive crescentem* denotat; et studium contemplantionis in dies recipit perfectionis augmenta, ut sit et nostri profectus: et fructus, quem in proximis exoptamus initium, labor actionis macerat, et apud imperitum vulgus maioris momenti est, atque carnalibus oculis maiore pollet splendore. Studium autem contemplantionis eadem ratione est minus, quia pauciores horas occupat, et in opinione stultorum non tantum habet pretii, atque laboris. Sed nos, qui humanam sapientiam contemnimus, et manifestam stultitiam vulgariam hominum detestamur, et sapientiam coelestem prosequimur, si nolimus in magno errore versari, commutemus manus, et in maiori dexteram, maiorem conatum, ferventiorum curam, et intensissimum desiderium porrigamus. Maiori vero filio, id est labori actionis, manum sinistram, id est minorem sollicitudinem admoveamus. Si autem aliquis reprehendat, et nostrum propositum moleste ferat, manumque nostras commutare curet, et maiorem sollicitudinem actioni, contemplantioni vero minorem velit adscribere, protegamus nos verbis sancti Iacob, qui licet externis luminibus capis esset, internos tamen oculos clariores, et sapientiores acceperat: *Scio, inquit (Genes, 19), fli mi, scio et isto quidem erit in populo, qui multiplicabitur: sed frater eius minor maior erit illo: et semen illius crescit in gentes*. Dicamus, inquam, illi, quia etsi coeci videamur, stulti ab stultis reputemur, at a magistro magistrorum edocti, optime novimus quid expediat. Nam pulpitum, aut cathedra, aut quodvis aliud ministerium proximorum, gratia est gratis data, in bonum, aut augmentum aliorum attributa, cui satis sufficiens est manus sinistra. At mortificationis, orationis, humilitatis, et puritatis studium ad solidas, et perfectas virtutes pertinet, quibus gratiam, et Dei amicitiam comparamus; et ministeris proximorum fructum, et efficaciam acquirimus. Quare ae-

quam est, ut ei manus dextera tribuatur.

His iam se praelibatis facile mihi probari videtur, quod licet Christus Dominus dixerit (Luc. 19): *Maria optimam partem elegit*, quae solum contemplantioni vacabat; id tamen nihil obstare, quominus vita mista perfectior sit, quam illa: quia Christus Dominus locutus est ibi de vita contemplantiva, ut pars quaedam est vitae spiritualis, et in comparatione ad aliam partem, quae ad vitam activam spectat, dixit illam esse optimam, ut scite adnotavit cardinalis Caietanus (in div. Luc. cap. 10). Minime tamen primatum ei contulit per comparationem ad totum, cuiusmodi est vita mista, quae ex partibus illis coalescit, et componitur. Et quidem si solo lumine naturae, ac philosophiae doctrina rem hanc metiri liceat, sicut homo constans ex animo, et corpore perfectior est animo solo, aut corpore seorsum accepto: nam si animum cogites, supra illum habet naturam, et sensus corporis per se satis pulchros, atque perfectos: et si corpus consideres, supra ipsum constat substantia animae spiritualis, immortalis, et quasi divina: ita vita haec praestantior est, aut vita activa, aut vita contemplantiva separatim acceptis, quoniam actioni contemplantionis ardorem adiecit, et contemplantioni actionis fructum, et utilitatem addit. Est itaque hoc discrimen inter vitam mistam ex una parte, et vitam activam, et contemplantivam ex alia, quod est inter totum, et partem, inter regnum, et urbem, inter civitatem, et familiam, inter thesaurum, et gemmam, inter maniam, et monetam, ac inter universum orbem, ac micium elementum. Deinde, si Dominus non solum animam dedit homini, sed etiam corpus, et ex variis partibus, ac membris illud compegit, manifestum est, quia non solum animae, sed etiam corporis poscit famulatum, et servitutis obsequia. Sicut autem anima fidei, spei, charitati, et contemplationi, et aliis affectibus internis obsecundat: ita corpus labore, discursibus, laudatione, et praedicationis ministerio, aliisque exterioribus actibus servit. Perfectioris ergo vitae genus utraque munera complectitur, exteriorem scilicet administrationem, et internam functionem, quae per illam interpellatur. Sed Patres in medium producamus, quos omnes unanimes consensus video docentes, vitam mistam tam activae, quam contemplantivae praefertendam propter maiorem eius perfectionem. Hieronymus enim ait (in Hier. cap. 3) in illud: *Bonum est viro, etc. Is vero, et non ex parte perfectus est, qui et in eremo squalorem solitudinis, et in coenobio infirmitates fratrum aequali magnanimitate sustentat. Ideo in utraque professione per omnia consummatum invenire difficile est, quia nec anachoretum contemplantum, ac privationem materialium rerum, nec coenobita theoreticam ad integrum potest assequi puritatem*. Ioannes Cassianus (coll. 19. cap. 9) loquens de Moysae, Paphnutio, atque duobus Machariis, haec scribit: *Ita erant in utraque professione perfecti, ut cum ultra omnes eremi accolae secedentes, insatiabiliter secreto solitudinis pascerentur, quantumcumque in ipsis erat, nequaquam inquirent humana consortia; tamen ita frequentiam, ac fragilitatem*

ad se concurrentium sustinebant, ut cum ad eos visitationis, vel profectus gratia innumera fratrum multitudo conflueret, tam ingenie pauperum in quietudinem immobilis patientia tolerantes, nihil aliud didicisse, vel exerceuisse omni vitae suae tempore crederentur, quam ut communibus tantum adventivum officis deservirent. Accedit divus Augustinus (epist. 76. ad Aurel.), qui quoddam vulgarium, et insipientium dictum deplorans, nempe, quod *Malus monachus bonus clericus est*, haec sanctissimus Pater verba subiicit: *Nimis dolendum, si ad tam ruinosa superbiam monachos surrigamus, et tam gravi contumelia clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus monachus via bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, et tamen desit instructio necessaria, aut personae regularis integritas*. Et rursus (in epist. 138. ad Valer.): *Cogita religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore difficultius, laboriosius, periculosius, episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet*. Divus Chrysostomus (lib. 5. de Sac.) non minus luculenter maiorem vitae mistae perfectionem exollit in haec verba: *Proinde ne monachum quidem, magnopere, ac superva num admirabimur, quod is apud se vitra, modo commoveatur, neque in multa, aut magna peccata prolaboratur; neque enim ei res illae ad sunt, quibus ipse animo irritetur, exulteturque*. Si vero quis se ipse turbis universis tradiderit, ac multorum delicta hominum ferre cocclus, cum esset inconcessus, immolusque persistit, animum ipsum, et vel tempestate actum, tanquam in malitia, ac tranquillitate gubernans, hic vero dignus est, quem omnes plausu, atque admiratione prosequantur: abunde enim ille suae virtutis periculum fecit. Divus Bernardus proleptice vitae mistae praestantiam super reliquis in hunc modum tradit: *Est tantum lucrere, vanum: tantum ardere, parum: ardere, et lucere, perfectum*. Illi lucent, qui ex praedicationis ministerio auram solum popularem captant, et non Dei gloriae, sed propriae ambitioni servire student: hoc autem vanum est: nam quid inanis, quam ex tam sanctis, ac praestantibus laboribus, non fructum praemii coelestis decerpere, sed inanis gloriae, et insipientis laudationis ventum aucupare? Illi ardent, qui sibi solis vacant, et contemplantioni se tradunt, ac sola cordis proprii puritate contenti, alius doctrina non prosunt; et hoc parum est: sancta enim rusticitas sibi soli prodest, quae nullo modo potest cum illius sanctitatis opulentia conferri, cuius tam eximiae opis sunt, ut habeat, unde abunde sibi provident, et unde in alios sine sui detrimento doctrinae divitias effundat. Illi vero ardent, et lucent, qui in similitudinem solis splendorem ignem, et ardorem splendorem habent: qui ardore charitatis seipsum supra omnia caetera effrunt, et Deo creatori intellectu, et affectu se captant; et lucis doctrinae proximis docent, ac vitis liberos in rianae virtutis adducunt. Sed hoc sane perfectum est. Divus Thomas non est silentio praetermittendus, qui (2. 2. quae. 188. art. 6) religionum

perfectiorem expendens, etiam perfectionem existimat, quae ex plenitudine contemplationis ad opus doctrinae, ac praedicationis progreditur: verba eius sunt haec: *Sicut maius est, illuminare, quam lucere, ita maius est, contemplata aliis tradere, quam solum contemplari.* Ac tandem Innocentius Tertius (in cap. licet, de Regul.) ait: *Sicut maius bonum minori bono praeparatur, ita communis utilitas specialis utilitati praefertur: et in hoc casu recte praeparatur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, et labor quieti.*

Deinde nemo mihi inficiabitur, Christum Dominum, beatam Virginem, et Apostolos perfectioris vitae sectatores fuisse: ac constat manifeste vitam mistam illos coluisse. Non ergo id leve argumentum est, hoc genus vitae relictum alia longe superare. De Christo Domino dicit Gregorius (lib. 6. Mor. cap. 17) inquit: *Humani generis Redemptor per diem miracula urbis exhibet, et ad orationis studium in monte pernoctat, ut perfectis videlicet praedicatoribus innotet, quatenus nec activam vitam more speculationis funditus deserant; nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant; sed quiete contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos, loquentes refundant.* Etenim quemadmodum sol per diem nos illuminat, et radiis lucis suae, ac calore huius emisphaerici corpora fovet; nocte autem discedit, et se a bonis abscondit, non in otiosus maneat, sed ut oppositis et in alio mundi contacta viventibus splendeat: ita Christus verus iustitiae Sol, in die hominibus doctrinae suae splendore lucebat, et eos beneficiorum calore fovebat; nocte vero in montibus, et locis solitariis delitescens, a mortalibus se subtrahebat, ut cum aeterno Patre nostra negotia peragens, angelos orbis illius immortales incolat, orando, reverentiam, et amorem erga Patrem doceret, et sua praesentia exhiberet. Habemus igitur huius vitae mistae Christum Dominum ducentem, et antesignanum, dum vitam mortalem egit, immo ut mihi videtur, non solum in terris nobiscum manentem, sed etiam ad dexteram Patris sedentem: nam ita ascendit, ut nobiscum manserit: et ita mansit, ut qui secundum divinam naturam ubique est, secundum humanam etiam coelestis sua praesentia repleverit. Ita est ad dexteram Patris, ut tamen ibi interpellet pro nobis; hoc ipso monstrans, quod ita gerit munus beati ad contemplationem pertinentis, ut minus Advocati non reliquerit, ad actionem spectans. Hinc divus Bernardus (serm. 23 in Cant.) perbelle dixit: *Oportet itaque sponsam sponsum suum imitari, et petentem nimirum coelos, et nihilominus in terris cum suis se fore usque ad summationem saeculi pollicentem.* Sic etiam quantumvis proficiat, quantumlibet promoveatur, cura, providentia, affectu ab eis, quos in Evangelio genuit, nunquam amoveatur, nunquam sua viscera obliviscitur.

Venio iam ad deiparam Virginem, quam ardens in filium amor non sinebat idem vitae mistae genus non sectari. Quod satis manifestant communia illa epitheta, quibus Ecclesiae Patres frequenter illam exornant: *Mater, Do-*

mina, Regina, Hera, Advocata, et Virtutum operatrix. Ut *Mater*, filiorum sollicitudinem gerit: ut *Dominica*, servis necessaria ministrat: ut *Regina*, anticos suos multis favoribus prosequitur: ut *Hera*, famulis iura imperat, et obedientiam eorum praemiatur: ut *Advocata*, eorum patrocinium suscipit: ut *Virtutum operatrix*, in nostram utilitatem miranda multa praestat, et diversarum virtutum exempla nobis praebet. Haec ad alteram partem vitam mistae, quae activa est, pertinet. *Alma* vero *domus Dei, Triclinium Trinitatis, scala coeli*, et similia, alteram partem vitae mistae, quae ad contemplationem pertinet, redolent. Ut *Alma*, quae abscondita interpretatur a consortio hominum, ad loca abscondita se sequestrabat: ut *domus Dei*, divinam praesentiam ignitis desideris affectabat: ut *Triclinium Trinitatis*, domicilium erat, et habitaculum trium personarum, quae mediantibus tribus virtutibus, fide inconcussa, spe certa, et charitate inflammata, in ea summa iocunditate regnant: ut *scala coeli*, ascensum ad Deum, et descensum ad proximos praebet. Unde sapienter sancti Patres, dum de Virgine sermonem instituunt, nunc quae contemplativae vitae, nunc ea, quae activae sunt praedictae, quia revera in utraque omnes excellunt, et in unum, idemque institutum, utramque coniungunt. Ildephonus Toletanus antistes ait, cum multo melius quam Magdalenam ad pedes Domini consedisset, et verba eius ardentius auscultasse. Guericus (serm. 14) asserit, ineffabilem voluptatem percipisse ex consideratione eius mysterii, quod sit Deus, quia super omnes puras creaturas magis amavit. Dionysius Richelieu (lib. 2. de laud. Virg. art. ult.) post glorificationem filii, multo verius saeculum illi viluisse, et coelestibus intensius inhaesisse. Rupertus (in Cant. cap. 5) eam sicut sacrificii adipem, igitur amoris fuisse liquefactam, quoties Christi mysteria cogitabat. Tandem Sophronius, amorem Christi Mariae desiderium peperisse. Desiderium vero novos ardores reparasse, adeo ut omnia mente relinqueret, et seipsam etiam in extases raptam transcendere. Ista munia sunt vitae contemplativae. De activa vero divus Bernardus (serm. 4. in Miss.) ait, Mariam melius quam alios, tanquam magis edoctam, sacri Evangelii mysteria reserasse. Rupertus (in Matth. cap. 2) tenuisse illam tempus caedendi ante Christi filii sui ascensionem in coelum, et post illam tempus loquendi illi advenisse. Optimo ergo iure beatae Virginis vita vocatur *mista*, ut ait Idiota (in lib. contemp. cap. 3), quae ita in contemplationem incubuit, ut actionem fidelibus attem non omiserit: et ita actionem istam implevit, ut tamen nunquam a perfectissima contemplatione discesserit.

Tandem idem genus vitae mistae Apostoli Christi Domini diligenter coluerunt vestigia Magistri sui, et beatae Virginis sequentes. Unde (Acor. 6) dixerunt: *Nos orationi, et ministerio verbi instantes erimus.* Ecce contemplationi vacabant, ut contemplata per verbi divini praedicationem fidelibus traderent. Unde omnibus Apostolis illud Pauli (2. Cor. 5) certissime com-

venit: *Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis.* Haec namque duo ad Apostolicam vitam pertinent: amoris scilicet divini ebrietas, quae sobrietatem fraternae charitatis non auferat: et benigna sobrietas, quae ebrietatem contemplationis non tollat. Hinc divus Bernardus, vir vere totus Apostolicus (super cap. 2. Cant.) vitam hanc mistam amplectens, haec de seipso pulchra valde scripsit: *Patienter ego avellor ab infocunditate Rachelis amplexus, ut mihi exuberet fructus profectum vestrorum. Minime prorsus pigeat me inturbatae quietis pro cura sermonis, cum video in vobis germinare semen meum, atque ex eo auferi incrementa frugum iustitiae vestrae. Caritas enim, quae non quaerit quae sua sunt, iam id dudum facile persuasit, nil desiderabilium meorum vestris praefere utilitatibus, orare, legere, scribere, meditari, et si qua alia spiritualis studii lucra, haec arbitratus sum propter eos detrimenta.*

Ceterum, ut inceptum hoc argumenti genus iam absolvam, oportet quorundam obiectiones diluere, qui contemplativam vitam mistae praepone re salagunt. Aiunt enim, quod sicut melior, et pretiosior est gleba auri fulgentissimi, atque purissimi, cui nullum est extraneum metallum admixtum, quam si ei aliquid plumbi vel aeris, vel argenti misceretur; ita nobilior est, atque praestantior vita pure contemplativa, solum sapientiae splendorem, et charitatis ardorem habens, quam si rerum humanarum sollicitudinibus, et proximorum curis obfusceret. Haec enim sunt instar plumbi, vel aeris, aut certe instar argenti, quae mentem nostram depriment, et inter homines sonant, et alienius valoris censentur; ac nullo modo possunt cum pretio auri, idest purissimae charitatis conferri. Sed responsio ad haec non est difficilis, quia in hac mortali vita, quae ob humanam infirmitatem aeternam contemplationis non potest esse undequaque purum, et nulli occupationi externae mixtum. Unde divus Augustinus (epist. 121. ad Pro.), et divus Thomas (2. 2. quaest. 83. art. 14) inquit, orationem, in desiderio quidem debere esse diuturnam, in se autem ipsa esse non posse continuam, quia necesse est, aliis operibus occupari, atque certe, vel status obligatione constringit, aut lex charitatis mittit, aut certe ipsa fragilitas carnis impellit. Si igitur ob has causas mortalis haec vita non patitur, ad omni externa occupatione hominem alienari, illa perfectior censenda erit vita, quae non Deo, sed proximo propter Deum attendit. Immo ausim affirmare, quod tametsi naturae humanae infirmitas ferret, ut quis perpetuo, et sine interruptione posset, instar spiritus angelici, contemplationi vacare, adhuc perfectior esset, et Deo acceptius, illam ad tempus pro operibus charitatis, et pro salute fratrum intermittere, et ad bonum aliorum festinare: nam ignis ille charitatis in camino contemplationis accensus, si ardens est, si magnus, atque perfectus, haud infra seipsum se continet an potens, ad exteriora non exhibit an alios non illuminabit, et calefaciet? an in res sibi propinquas suae efficaciae scintillas non effundet? An non mi-

rum fuit, quod ignis fornacis Babylonicae tres adolescentes ligatos, et in media fornace coniectos non exussit? Et quare non esset etiam mirabile, si charitatis ignis multo potentior in corde iusti succensus, nullum illuminaret, nullum accenderet, nullum verbis, tanquam scintillis ardentibus ad bonum inflammaret? Denique nunquam est *Dei amor otiosus*, ut Gregorius ait, *operatur etiam magna, si est; si vero operari renuit, amor non est.* Unde divus Thomas (2. 2. quaest. 184. art. 7. ad 2) dixit, maioris esse dilectionis iudicium, si quis propter amicum etiam alii serviat, quam si soli amico velit servire. Nam amor faciens, ut serviamus amico, sed velut fluvius alveum suum occupans, et placide, sensimque decurrens. At impellens nos, ut aliis propter amicum famulemur, est veluti fluvius alveus angustias praetergrediens, et omnia stans, atque agris inundans, qui non solum amico, sed omnibus rebus eius cupit donare, et beneficia praestare. Et contra vero amor Dei, qui cum possit, usque ad amorem proximi non decurrit, et in proximum exhortationis verba, et virtutis exempla non effundit, satis tepidus, et exiguus esse vincitur: immo ex sententia divi Gregorii (1. par pastor. cap. 5): *Qui virtutibus pollens gregem Dei pascere renuit, pastorem suum conciviscitur non amare. Merito itaque Dominus Petro pastoris curam, in signum, aut effectum amoris perfecti postulavit: Simon Ioannis, inquit, diligit me plus his: ipsique respondit: etiam Domine, tu scis, quia amo te, agnorum suorum curam demandavi illis verbis: pasce agnos meos.*

Quia tamen plimissus Amianus tolam hanc doctrinam crudite, et sapienter ex sacra Scriptura illustravit, verba eius licet non pauca hic adscribere non gravabor. Ille, ut Theodoretus refert (in sua hist. cap. 4), spiritualia documenta Eusebio praebens, ait illi: *Quoniam ergo Deum amas, ego tibi modum ostendam, per quem et amorem magis accendes, et ei quem amas, servies. Nam quod omnia tua cura, et industria in te ipsum concertantur, non effugit, ut sentio erimen, nimirum in te ipsum amoris: lex enim divina iubet, proximum amare ut te ipsum. Multos autem opum sumere particeps, hoc est proprium vere numeris charitatis. Hanc autem divus Paulus appellavit legis plenitudinem. Rursus quoque clamat: *Tota lex, et Prophetiae in hoc sermone ad summam rediguntur, nempe: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Porro autem Dominus quoque in sacris Evangelii Petro, qui confessus est, eum amare plus aliis, praecipit pascere oves suas. Eos autem, qui hoc non fecerunt, acriter reprehendens, clamat per Prophetam: *O pastores, nonne greges a pastoribus pascentur? et ideo magnum quoque Heliam, qui hanc vitam persequebatur, iussit versari in medio impiorum; et secundum Heliam tantopere celebratum, Ioannem intelligi, qui amplectebatur solitudinem, transmisit ad ripas Iordanis ibi baptizare iubens, et praedicare. Quoniam amor tu quoque es Dei, qui te fecit, ardens ergo tuos, multos quoque tecum altius effice amatores: hoc enim est velle gratum communit Dominus. Propterea Eszechiel quoque appellavit, et peccatoribus iussit testificari, et Io-**

nam iussit currere Nivivem, nolentemque transmissit in vinculis. Haec omnia Amianus pulchre quidem, et erudite, quibus aperte vitam mistam, ex contemplatione, atque actione compositam, quae ob animarum utilitatem suscipitur, vilae pure contemplativae praepoñit.

Ad extremum illud adicere non parcam, ad excitandum lectorem ad hoc genus vitae mistae capessendum, quod haec vita facilior sit, illa difficilior, ut ex principiis Aristotelis deduco: ille enim in problematibus particata sexta, problemate decimo inquirat, quare magis homo laborat, ambulando viam planam, quam non planam; sed partim montuosam, et partim planam? et respondet rationem esse, quod ambulando viam planam, continuo incedit uniformiter, et uniformiter defatigantur membra, et instrumenta, quibus motus exerceat, nimirum, genua, crura, tybiae, quia in his servatur continue unus motus, et una figura illa movendi. Motu vero non plano, ubi aliquando ascenditur, aliquando descenditur, non eadem figura motus observatur, et sic membra aliqua plus, aliqua minus vexantur. Ascendendo enim plus laborat tybiae, et genua, descendendo vero plus femora; et ob hanc laboris alternationem minor resultat fatigatio. Non dissimiliter fragilitas humana nullo modo sustinet, ut mens hominis uniformiter exerceatur in contemplantando, et ascendendo ad coelestia, quia corpus ultra modum defatigatur. In cuius figura legitimus, nervum femoris Iacob in luctu cum angelo emaruisse. Nec item expedit, quod homo semper descendat ad terrestria per opera vitae activae, quia his temporalibus proximis dispensandis semper vacans, anima desiccaretur, quae alioquin per coelestium contemplationem impingitur. Ad perfectam ergo vitae rationem instituendam, oportet haec ad exemplum Christi Domini alternare, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

In illa verba: Mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam, de virtute hospitalitatis praecipue erga pauperes disseritur.

Cum paucissimos reperiam praesens argumentum pertractantes, eiusque utilitatem non modicam esse censeam; idcirco oblata praesenti occasione hospitii, quo Martha Christum domus suae excepit, uberius de illo disserere, Deo auspice, aggredior.

§ I.

EX SACRARUM SCRIPTURARUM, ET CODICILIORUM MONUMENTIS SUADETUR.

Permulta ex veteri testamento ad suadendam hospitalitatem potuissent proferre testimonia: illud tamen praecipue Isaiae, quod instar mille est, recitabo (Isai. 57): *Frangere esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam: nec non illud Iob (cap. 7), iuxta graecam translationem, seu ut alii volunt, graecam paraphrasim: Invenient eum iuxta portam, et cum salutassent eum pacifice, ille pacifice respondit, et suscepit eos cum gaudio. Ex novo vero testamento plura in medio producam. D. Paulus (ad Hebr. 13): *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes: et rursus (ad Rom. 12): Caritas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci: et apud b. Petrum (1. Petr. 4): Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum. Hospites invicem sine murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutram illam ministrans, et sic bene dispensatores multiformis gratiae Dei. Huc refertur potest, quod ait Dominus (Matth. 10): *Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet. Etenim si quis furem, aut laesae maiestatis reum hospitio recipit, eandem incurrit poenam; rationi consentaneum est, ut qui bona operam in hospitio excipit, illius operum meritum suscipiat. Quod apud Lucam (c. 14) monet Christus: *Cum facis prandium, aut coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et coecos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Declarat hoc officium charitatis necessarium esse ad vitam aeternam: nam apud Matthaem Christus Iudex iis, qui a dextris erant, dicit (c. 25): *Hospes eram, et collegistis: nudus eram, et cooperuistis me; qui vero a sinistris: Hospes eram, et non collegistis me. Et ibunt hi, subdit Evangelista, in supplicium aeternum: iusti autem in vitam aeternam. Christus Dominus (Lucae cap. 7) conquiretur de Simone, quod officium lavandi pedes peregrinis, et hospitibus solitum fieri, sibi non praestitisset: *Intravi in domum tuam, et aquam pedibus meis non dedisti. Moris erat tunc, quod et nunc etiam eadem consuetudo viget, peregrinis, et hospitibus pedes lavare. Unde Abraham triump angulorum, quos specie peregrinorum susceperat, pedes lavare voluit. Sic etiam Loth angelis illis. Sic etiam Paulus viduis praecipit, peregrinorum lavare pedes. Haec de causa debuit Pharisaeus lavare pedes Christi: nam peregrinus venerat, qui eo die civitatem Naim intraverat, quando ad portam filium viduae susceperat; et ingressus missos a Ioanne susceperat, et sermonem ea occasio-******

ne ad populum habuerat; tunc enim invitatus fuit a pharisaeo. Divus Paulus singillatim a sacerdotibus, et episcopis exigit virtutem hospitalitatis: *Oportet, inquit (1. Tim. 3), Episcopum irreprehensibilem esse, pudicum, hospitalem: et iterum (Tit. 1): Oportet Episcopum sine crimine esse: non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium. Atque etiam a viduis (1. Tim. 5): *Vidua, ait, eligatur in operibus bonis testimonium habens: si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus consilium ministravit. Denique sanctus Ioannes apostolus epistola tertia Caium ab hac virtute laudat, dicens: *Charissime fideliter facis, quicquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuae, in conspectu Ecclesiae: quos benefaciens, deduces digni Deo. Contra vero Diotrephen insinuat inhospitalitatis: *Is, inquit, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recepit nos. Certe antiqui illi Christianae religionis cullores in hospitio excipiebant peregrinis, et pauperibus diligentes adeo se exhibere, ut impius Iulianus Apostata, id referente historia Tripartita (lib. 6. cap. 29. in quad. epist. quam ad Aphrasium scripsit), exprobraret suorum inhospitalitatem, Gallaeorum hospitalitatem, sic ille vocabat Christianos, in faciem eis oblivisci; quos ita hinc muneris deditos aiebat, ut non solum proprios, et notos, sed exteros, ac ignotos, et cultu religionis omnino dispares, officiose in hospitium reciperent.****

Iam producamus sacra Concilia, quae hospitalitatem nobis commendant. Concilium Matisiense II. (cap. 11): *Sectatores nos hospitalitatis non solum Dominus Iesus admonet, cum se dicit in hospitium receptum fuisse, sed etiam eis Apostolos, omnibus pene suis praecipit: Propterea unumquodque nostrum oportet non solum semetipsum ad hoc opus hortari, sed etiam omnium fidulum mentes ut possint apud Deum misericordiae operibus pro nostris peccatis intercedere, et nos ei per puram hospitalitatem reconciliare. Si quis ergo nostrum non admonuerit, aut exemplum exhortationis suo ipse prius non comprobaverit opere, indignationem proculdubio incurret Dominicae maiestatis. Praedicatur hoc nostrae medioevitatis statutum in verbis omnium Christianorum, etc. Idem Concilium (cap. 13) dicit, Episcopalem domum institutam esse, ut omnes sine personarum acceptione hospitalitate recipiat. Concilium Arvernense, ut allegatur (in Cod. quinque libro partialium libro 2. cap. 103) sic habet: *Placuit, ut presbyteri suas plebes admonerent, ut hospitales sint, et nulli iter facienti mansionem denegent; et ut omnis rapinae occasio tollatur, nihil carnis vendant transeuntibus, nisi quanto in mercato vendere possint. Quod si carius vendere voluerint, ad presbyterum transeuntes hoc referant, et illius iussu cum humanitate eis vendant. Concilium generale VI. (Can. 9) hospitalitatem summopere commendat, prohibens ne merces pro hospitalitate recipiatur, ut nulli hospitium denegetur. Hoc et Carolus Magnus in suis constitutionibus renovat, et concilium Aquigranense sub Ludovico Primo imperato-**

re (cap. 141) omnibus episcopis, et praelatis iniungit, vice sua eundem committere curam suscipiendi hospites peregrinos, utpote Christum in membris suis, qui ei necessaria libenter pro viribus administrat. Hinc et praecipit clericis, ut si aliis temporibus non liceat, saltem Quadragesimae tempore pedes pauperum in completi loco, et hospitali lavent: *Quapropter capedi, ait, ut in competenti loco hospite sit pauperum, ubi perfacit ad illud veniendi conventus fratrum passis fieri. Is autem, cui haec cura recipiendi hospites, et pauperes incumbit, si negligens fuerit, acerrime corrigatur: potissime si res pauperum in suos usus aptaverit. Praeterea Concilium Parisiense III. (l. 1. cap.) sic loquitur: *Operae pretium duximus nos exhortando admonere, et admonendo exhortari, ut hospitalitatem praecipue sacerdotibus Domini sectari meminerint. A Hieronymo etiam inter cetera virtutum praeconia, quae Episcopo inesse debent, hospitalitas etiam habenda praedicatur: *Episcopi namque domus, ut ipse b. Hieronymus scribit (in epist. ad Tit. c. 1), omnium commune debet esse hospitium. Laticus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis officium, Episcopus nisi unum recipiat, inhumanus ab eo scribitur. Hospitalitas porro, quam Dominus remuneraturum se esse asseruit, illa est intelligenda, quae membris Christi, lecto scilicet indigentibus, et diversas necessitates patientibus, providet. Multa etiam de sectanda hospitalitate concilium Aquigranense (cap. 28) avertit, dum de Episcopo visitante tractat. Praeterea ad amplectendam hospitalitatem Episcopos hortatur Concilium Oxoniense in Anglia (cap. 1), ubi etiam de pauperibus audiendis certa datur constitutio. Vide denique concilium Tridentinum generale (sess. 25), quae fuit nona sub Pio Quarto (c. 8. decr. reform.) sic loquens: *Admonet sancta synodus quoscunque ecclesiastica beneficia saecularia, seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium a sanctis Patribus saepe quater commendatum, quantum per eorum praesentis licet, prompte, benignique exercere assuescant: memores eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere.****

§ II.

DEUS OPTIMUS MAXIMUS EXEMPO AD HOSPITALITATEM EXERCENDAM NOS COMMUNET.

Supremus totius mundi opifex adeo sollicitus, ac diligentem se exhibuit in benigna hospitium susceptione, ut praeterquam angelis coelum empyreum in hospitium dederit, ac hominem in paradisi voluptatis amoenissimum locum a primordiis constitutionis mundi hospitio exceperit; ipsa etiam bruta animantia hospitali non fuerit indignatus, sed summa providentia singulis hospitia proportionata, et accommodata propriis eorum naturis distribuerit: aere avibus; aquam piscibus; terram quadrupedibus; et quod mirabilis merito vi-